



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

I. Plurima de Christo absona Origenes opinatus est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A humana illigari Personam quam Filium dixit in eo Opere, cui titulum fecit, *Cur Deus homo.*
Quoniam ergo, inquit, quodlibet paruum inconueniens in Deo est impossibile, non debuit alia Persona incarnari, quam Filius.

QVÆSTIO TERTIA.

DE CHRISTO, EIVSQVE INCARNATIONE

ET OIKONOMIA.

- B** I. Plurima de Christo absq̄na Origenes opinatus est. II. Verum Christum substantialiter in Moyse, Prophetis, & Angelis adfuisse senserit. III. Patrum multorum assensu & sua ipsius fluctuatione iudicatur. IV. Quo sensu dixerit Filium Dei, antequam esset homo, mediatorem fuisse: V. in quo & Patrum quorundam consensione se tucit. VI. Excusantur ejus errores de anima Christi: VII. quibus tamen non pertinaciter adhaesit. VIII. Nonnulli ipsius accusatores retunduntur. IX. Quo sensu Filium & ejus animam unum esse dixerit, quemadmodum Pater & Filius unum sunt. X. Vtrum Christum carnem de caelo attulisse persuasum haberit. XI. An crediderit Christum specie tenuis in terris apparuisse, non veram carnem gestasse. XII. Solvuntur difficiles ipsius loci duo. XIII. Unde in hanc affecti Christo falsi corporis suspicionem venerit, exploratur. XIV. Vtrum Christum merum esse hominem existimaverit. XV. An duos Christos finxerit. XVI. Vtrum & quo sensu Jesum induisse Filium Dei pronuntiaverit. XVII. Quo sensu Christum dixerit deificasse naturam humanam. XVIII. Quo sensu Christum esse dixerit virum illum sterilem, de quo Jeremias cap. 22. vers. 30. XIX. Vtrum corpus Christi ubique esse censuerit. XX. Pro quibus passum Christum opinatus sit. XXI. Recensentur Patrum criminationes adversus Origenis sententiam, XXII. que ex ipsius verbis proponitur. XXIII. Non satis constat an saepe jam pro rebus ratione praeditis, an semel tantum passum, an etiam aliquando passurum Christum putaverit. XXIV. Ex supra allatis genuina ipsius opinio elicitur, XXV. cujus & origo indicatur. XXVI. Nonnulla faciunt pro causa Origenis. XXVII. Vtrum Christum in Sole corpus suum reliquisse sibi finxerit. XXVIII. Vtrum censuerit Christum hominem esse desisse, postquam mortuus est. XXIX. Quo sensu Christum dixerit etiam nunc lugere peccata nostra. XXX. Vtrum regnum Christi desitutum crediderit.

E I. **V**LGATVM, & in Scholis receptum Theologicarum disputationum ordinem hic deserimus, affectantes Origenem, cujus ut abnormes fuerunt plurimae de rebus divinis sententiae, ita peculiari, & a consuetis aliena divisione tractandae sunt. In inferiorem ergo locum reiectis, quae ad Angelos & Opificium sex dierum, aliaque his deinceps subnecti solita pertinent, quaestionibus, Origenis de Verbi *εως θεου πατος* & *οικονομια* persecutemur decreta, si quae sunt obnoxia reprehensionibus, & animum possunt offendere Lectoris orthodoxi. Ac sunt certe, neque pauca, quae ab ejus ventilata & confutata adversariis, aeterna nomini ejus stigmata imposuerunt.

II. Leve illud est praerequisitum, & aliquam habens excusationem, quo Christum docuit, antequam homo fieret, Patri ministrantem, in Moyse, Prophetis, & Angelis hominum salutem promoventibus adfuisse, & quidem substantialiter, atque ita suam quodammodo *οικονομια* inchoasse. En tibi ipsius verba ex Hom. 8. in Genes. *Et tamen considerandum est quia Angelus hac refertur ad Abraham locutus, & quia in consequentibus evidenter hic Angelus Dominus ostenditur. Unde puto quod sicut inter nos homines habitum reperit ut homo, ita & inter Angelos habitum est reperit ut Angelus: & ex Homil. 1. in illud Isaia: Et regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis, & missus est ad me unus de Setaphim. Nam est unus, inquit, Domini mei Iesu Christi adventus quo descendit ad terras. Et ad Esaiam venit, & ad Moysen venit, & ad populum venit, & ad unamquemque Prophetarum venit: neque tu timeas, etiamsi jam caelo receptus es, iterum veniet. Quia autem & ante praesentiam carnalem ad homines venerit, ipsum accipe testem denuntiantem atque dicentem: Hierusalem, Hierusalem, quae occidis Prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te, quoties volui colligere filios tuos? Quoties volui, non dixit; non vidi te nisi isto adventu: sed dixit; Quoties*